Iur. 90.

# DEO AVSPICE ET DVCE,

## *THESES HASCE*

## DE MATRIMONIO CONTRAHENDO ET DISSOLVENDO.

PRAESIDE CLARISSIMO, *CONSVLTISSIMOQVE* VIRO, DOMINO IOHANNE ALTHVSIO. I. V. D. ET IN ILLVSTRI SCHOLA BENTHEIMIA, QVAE EST Steinfurti, Iuris Profeſſore publico, Domino & præceptore ſuo, plurimùm obſeruando.

Puplicè diſcutiendas proponit

VVESSELVS HEMESSEN, VECHTANVS.

*Per nuptias eſt humani generis, familiæ & memoriæ noſtræ conſeruatio, & quædam quaſi immortalitas.* l. 220. liberorum. in fi. de verb. ſign. l. lege. 14. C. de legit. hæred. Nouell. 39. in fin. princ. Nouell. Leon. 26. in pr. l. proponebatur. 76. de judic. l. 2. C. de indict. vid. toll.

Ex Bibl. Acad. Land.

M. D. LXXXXIII.

NOBILITATE GENERIS, VIRTV-
TIBVS MVLTOQVE RERVM VSV, ET EXPERIENTIA
ampliſsimis viris, Domino Othoni Satrapæ VVilshauſenſi, & Vechtenſi magnifico maximeq́ ſtrenuo; Dn. VVilhelmo, ac Henrico Schaden, germanis fratribus, Dominis & Mæcenatibus ſuis debita ſubmiſsione colendis.

QVanta ſit materiæ de contrahendis & diſſoluendis nuptijs amplitudo, quàm intricata & inexplicabilis eiusdem perplexitas, viri nobiliſsimi, virtutibus, & rerum vſu ampliſsimi, Domini & Mæcenates ſubmiſsè honorandi, cùm ex monimentis Clariſs. non modò I. Conſultorum verùm etiam Reuer. Theologorum, materiam hanc vt fuſiſsimé; ſic quoq́ vehementiſsimé diſceptantiū cuivis intelligere promptū eſt, ipſa quoq́ dies eſt magiſtra. Quæ enim ex forenſi materia frequentiores, caſus magis inauditos, atq́ varios recens quotidie emergere, quàm ex hac ipſa, in uniuerſum omnes experimur. Veritus itaq́ ſum, ne quis me temeritatis inſimularet, quod, qui vix, ac ne vix quidē ius ipſum extremis, quod dicitur, labris attigi, hanc arduam, & in quam verè conuenit, quod Bartol. de pactis ait, ſubtiliſsimam materiam in publica palæſtra defendere non erubeſcam. Verùm cùm vt difficilima; ſic materia quoq́ vtiliſsima ac vſu frequentiſsima ſit: & veritas, inquiente Duar. in l. 7. §. & ideò de pactis, nulla alia ratione commodius quàm modeſta & ſobria diſputatione ex puteo illo ſubterraneo, in quo Democritus ſubmerſam eam latitare dicebat, educi poſsit, materiam hanc, comprehenſam theſibus aliquot, S. LL. tam ex iure diuino, quàm humano petitarū fundamento ſtabilitis, ſub præſidio Clariſs. & Conſultiſs. Viri. Domini Iohan. Althuſii, I. V. D. & præceptoris, ſumma mihi obſeruantia colendi, publicè defendendam ſuſcepi, ne tantillum quidem dubitans, quin, quicunq́ ſtudio inquirendæ & indagandæ veritatis quid ſuſcipit, apud pios & veri ſtudioſos omnes qualibet ſiniſtra ſuſpicione ſit liberatus. Quia verò pro ratione & conſuetudine Illuſt. noſtræ ſcholæ, publicè diſputatæ theſes prælo ſubmitti, & ſub patrocinio, ac authoritate hominum ampliſsimorum publici fiunt iuris: ego ne conſuetudini huic deeſſe videar, haſce meas de matrimonio contrahendo, & diſſoluendo theſes Nobiliſ. V. Amplitud. ſubmiſsè offero, do, dico, conſecro, beneficium quidem, ſi materiæ dignitas ſpectetur, chartaceum, & exiguum; ſi conditio offerentis, mediocre; ſi animus eiuſdem, maximum. Sunt hæ S. meæ Themidos primitiæ, ſunt primi fructus, quos N. V. A. præ alijs percipere malui, cùm quod nôrim, ſingularem eam eſſe ſtudiorum fautricem, tum, quod patriæ meæ Chariſ. ſumma prudentia & vigilantia præſideat, cui ſecundū parentes, teſte, Cicerone, omnia debemus. Eam igitur ſubmiſsè & officioſè rogo, vt beneficium hoc non ſecus ſuſcipere dignetur, atq́ magnus ille Perſarum Rex, qui cum vario donorum genere à ſubditis honoraretur, aquæ hauſtum caua manu à ruſtico paupere, at beneuolo tamē oblatum, ſerena fronte, gratoq́ animo accepit. Optimè ac fœliciter Valete. Steinfurti Cal. Mart. ſtil. Vet.) N. V. Amplitud.

Obſeq. & addictiſs. VVeſſelus. Hemeſſen. Vecht.

# THESES DE MATRIMONIO CONTRAHENDO ET DISSOLVENDO.

## I.

*MAtrimonium eſt contractus* [a] *ex conſenſu* [b] *inter marem & fœminam,* (c) *de officio coniugali præſtando* (d).

(a) l.3.verb.contrahi.l.10.11.12.14.16.22.34.35.38.de rit.nupt.VVeſenb. in Inſt. & D. Borcholt.in tr.de grad.& aff.Molrad.in tr.de matrim.pag.34.Menoch.de arb.jud.quæſt. caſu.420.num.38.lib.2.arg ſumpto ex l.2.l.4.de Sponſal.l.vnic.§.13.2.C.de rei vx.act. Menoch. de p̃ſumpt lib.3.in p̃fat.vid.Connan.lib.5.c.3.Pet.Nicol.Moozz.de nupt.nu. 1.2.(b)l.2.3.l.21.l.6.22.de rit.nup.l.6.7.8.22.14.C.de nup.Inſt.in pr.cod.l.11.Sponſalia. l.7.l.17.l.4.de Sponſal.l.30.de reg. Iur. l.cui fuerit.15.de condit.& demonſt.l.4.de con cub.1.Cor.c 7.v.12.13 Gen.c.24.58.59.Iſidor.lib.9.c.7.per Luc.c.1. c) Gen.2.v.23. Matth. 19.v.l.1.de rit. nupt.l.2.C.de inceſt.nupt.§ 1. Inſt.de pat. pot.Improbo igitur bigamiam, Sodomiam,& obbruteſcentem illam & portentoſam commixtionē cum beſtijs. Rom. 1.Leu.18.& 20.Deut.24.1. Cor.6.& paſſim alibi. d) Gen.1.v.28.& c.9,1. & c.24.60.Ezech. 16.20.& c.28.37.Tob.c.10.13.l.liberorum.220.de verb.ſign.l.1.l.Si cum dotem.22.§.Si maritus.verb. procreandi ſob. ſolut.matr.l.9.verb.liberorum procreandorum. C.h.t.l.fin. C. de ind.vid.toll.Fines matrimonij vid.apud Vlpian.tit.3.§.3.Gell.lib.4.c.3.l.9.C de quæſt.Nou.Leon.26.l.14 C.de legit. hæred.l.83.de cond. & demonſt.1.Cor.7.Gen.c.1.1. Petr.3 Pſal.127.& 128.4.5.6.Petr.Greg.ladiſs.lib.9.c.6.& inf.theſ.26.& ſeqq.l.2.C.de ind. vid.toll.Vocatur alibi coniugium,conſortium,connubium,nuptiæ,ſocietas vitæ,etiam contubernium licet impropriè.l.in eo.45.de rit.nup.Vlp.tit.5.Paul.lib.2.tit.20.l.vlt.de diu.et.repud.l.3.C.de inceſt.nupt.Item eleganter quoq; effectio maritalis.l.cum hic ſtatus 32.§.13.de donat.int,Vir.& vx l.3.d.t.Nou.22.c.3.

## II.

*In matrimonio hic conſidero cùm legitimum eius contrahendi* (a) *tum diſtrahendi modum* (b).

(a)ſupr.in verb.contractus.tit.de nup D.& C. (b).tit.D.& C. de diuort,& de adult.

## III.

*Legitimè contrahitur matrimonium, ſi habetur ratio perſonarum contrahentium, & ipſius coniunctionis. Perſonarum contrahentium, requiritur tùm pubertas, & iuſta ætas* (a) *tùm conſenſus legitimus* (b).

(a) Gen.24.Tob.7.l.4.de rit.nupt.l.12.§.pen.de adult.l.19.l.14.de Sponſalib.l.68.l.38 de jur.dot.& ſup.alleg.ll.(b) th.1.verb.conſenſu.

## IIII.

*Hæc pubertas & iuſta ætas in maſculis 14.in fœminis 12.anno ætatis eſſe exiſtimatur* (a) *quamuis vigor, ſufficientia naturæ & còeundi potentia potius hìc ex iudicis arbitrio conſideranda ſit.* (b)

(a)Inſt.quib.mod.tut.fin.l.4.de rit.nup.§.1.Inſt.de nup.l.68.l.39.§.1.de jur.dot.l.9.de Sponſ.(b) arg.l.3.C.Si min.ſe maior.dix.Ariſt.lib.7.Polit.c.16.Menoch.lib.2.arbit.q.caſ.

58.n.8.9. Moozz.de contract.C.qui poſs.contrah.mat.num.3. Couar part.2.c.5.n.5. Et Salomon Roböan, qui anno 40.ætatis in regnum ſucceſsit, genuiſſe anno 11.ætatis videtur, ex collat.1.Reg.c.14& c.2.c.11.& Ezechiam Achas an.10.ex coll.2.Reg.c.16. Vid.Pet. Greg.lib.9.Syntag.c.17 Couarru.2.part.c.5.n.4.Sponſalia etiã maturius contrahi poſſunt. l.9.l.10.11.12.14. de Sponſal.Moozz.de contract.de nup.cap.qui poſs. Sponſal.contra reh.

## V.

*Contrahentium autem conſenſus ſolus tùm ſufficit, quando illi ſunt ſui iuris:*(a)*in parentum poteſtate exiſtentes, eorum conſenſu, tacito ſiue expreſſo* (b) *matrimonium inire debent.*(c)

(a) l.filius.25.l.20.de rit.nupt.l.25.l.8.C.de nupt.Inſt.in pr.h.t.Vid.l.3.§.Si emancipatus. de bon.poſſ.cont.tab.1.Sam.25 40.41.& ſeqq.1.Cor,7.V.12.13. excipio tamen hîc fœminas 25. ann. minores, tam viduas, quàm virgines, patre orbatas, vel manumiſſas, quæ cum ſuffragio & conſilio matris, propinquorum, & curatorum nuptias inire debent. l.7.l.1.l.18.l.16.l.20.C.de nupt.Nouel.115.c.3.facit Gen.21.V.21.& c.24.50.51.53. 55.60. (b) l. 2.de rit.nupt.l.7.l.12.de Sponſal.l.5.C.de nup.(c) l.2.de rit.nupt.& in pr.Inſt.eod.l.12.C. de nupt.Paul. lib.2.Sentent.tit.19.arg.l fin.C.de curat. furi.quod de vtriſq.matrimonio & ſponſalib.intelligo l.10.l.11.12.13.de ſponſ.Sichard.ad Rub.C.de Sponſ.

## VI.

*An verò tum vtriusq; parentis, patris, inquam, & matris conſenſus ſimul requiritur? Ita puto iure diuino,*(a) *& Canonico,*(b) *& hodie obſeruatur,*(c) *non de iure ciuili, quo Patris ſufficit.*(d)

(a) Vid.Exod.20.12.Gen.24.23.50.51.& c.29.18.19.20.& c.34.4.& c.38.6.12.15.2.Sam.13. V.13.1.Cor.7.34.38.Num.30.Iud.14.3.& c.21.1.7.1.Sam.18.20.21.27.1.Reg.2.17. 20.Tob.6. 11.Deut.7.Hier.29.6.Prouerbior. c.23.V.22.25.c.10.1.c.15.20.c.30.17. (b)c.honorantur. c.32.q.2.c.1.q.5.cauſ.35.c.1.de Sponſ. impub.c.cum cauſa.de rapt.c. noſtrates.c.30.q.5.c.3. 1.q.2.arg.l.2. de iuſt. & iur.l.4.l.5.l.6.de in jus voc.l.9.de obſeq. à lib.paren.præſt. (c)Sicut & olim, vt exemplis probat Beuſtius in tr.de Sponſ.& matr.pag.204. 205. Coraſ lib. 1. miſcell.c.17.Duar.ad tit.ſolut.matr.& Beza in tr.de deuort. & repud. (d) l. 2. l. 3. l.25.l. 16.§.1.l.35.l.62.l.19.de rit.nup.l.1.§.1.C.de rapt.Virgin.l.11.de ſtat.hom. l. 12.l.2.l.20.in pr. C.de nupt.Inſt.in pr.eod.Paul.lib.2.tit.19.

## VII.

*Quod ſi tamen parentes matrimonium ipſis inſcijs contractum ratum habere velint, valet illud ex poſt facto, ex nunc ſc:non ex tunc.*(a)

(a) arg.l.5.hæc ita.de Sponſ.Gen.29.23.cum ſeqq.l.68. dotis.de jur.dot.l.18.de rit.nupt. l.5.6.l.18.C.de nupt.l.13.§.Si quis.ad l.Iul.de adult.

## VIII.

*Quid verò ſi parens captiuus* (a) *vel furioſus, mente captus* (b) *vel diutius abſens,* (c) *vel deportatus ſit,*(d) *vel fraude conſentire nolit, dotem dare, & conditionem liberis tempeſtiue quærere?* (e) *Sanè voluntas eiuſmodi parentis tùm minimè expectanda erit.*(f)

(a) l.5.§.4.de jur.dot.l.9.10.11.de rit.nupt. (b) in pr.Inſt.eod.l.25. C. de nupt.l.28.C. de epiſc.aud (c) d.ll.10.& 11.de rit.nupt.(d) l. Si pater.l.vlt.C.de ſentent.paſſ.l.1.de bon.poſſ. cont.tab. (e) l. 19. de rit nupt.l.1.20.C.h.t.l.fin.§.vtramq; C. de dot. promiſs. adde Gen. 24.3.4.Ierem.c.29.6. & Iud.c.21.1.intra 25. vt quidam putant, an. Vid.Nou.115.§.cauſas,

Couarru.part.2.c.3.tom.1.§.8.Petr.Greg.lib.9.c.3.n.15.Geil.lib.2. obſeru.95.(f) d.ll.

## IX.

*Conſentire quoq; parentes præſumuntur qui ſcientes illud contrahi, non tamen euidenter diſſentiunt, & contradicunt.* (a)

(a) l.7.in Sponſalibus.de Sponſal.l.5.7.l.25.C.de nupt.l.18.de rit.nupt.

## X.

*Nec tamen ideò dixerim, liberos vt parentib. aſſentiantur, cogi poſſe,* (a) *imò liberum illis eſt contradicere.* (b)

(a) l.21.l.22.l.28.de rit.nupt.c.requiſiuit.de Sponſal c.1. de deſponſ.impub.l.12.l.14.C de nupt. (b) Vid.Gen.24.57.d.l.21.& 28.de rit.nupt.d.l.12.14.C. eòd. quo caſu Magiſtratus officium interponere poteſt. l.14.l.20.l.1.vbi Sichard. C. de nupt. l. filiofam.13.de Sponſal.

## XI.

*Porrò legitimus conſenſus is dicitur, qui prouenit à perſonis conſentire in matrimonium iure naturali, vel ciuili non prohibitis.* (a)

(a) §.ergò non omnes.Inſt.de nupt.Leuit.18.& 20.l.53.l.vlt.de rit.nupt.l.17.C. de nupt. t it.C.de inceſt.& inutilib.nupt.c.cum apud.de Sponſ.

## XII.

*Iure naturali prohibentur quidam propter defectum quendam corporis, vel ius cognationis. Ob defectum, corporis impotentes,* (a) *impuberes,* (b) *frigidi, malefici, eunuchi, alijsq; morbis, uſum corporum & matrimonij ſpem omnem adimentibus affecti.* (d)

(a) l.in cauſis.16.C.de repud.tot.tit.ext.de frig.& malef. (b) in pr.Inſt.de nupt.l. quæſitum.l.9.in Sponſalibus.14.de Sponſalib. (c) tot.tit.de.frigid, & malef.c.quod autem.24 q.2.Leo.Nou.98.Nou.22.(d) d.loc.per l.6.filiū.de his, qui ſunt ſui vel alien.jur.V.d.l.10. C. de repud.Nou.de nup.c.2.ſublata lege Papia Popæa.l.pen.27. C.de nup.l.Si quis.12. C.de legit.hæred.Vid Sueton.in Claudio c.13. Alex.ab Alex.gen.dier.lib.4.c.13. Valer. Max.lib.8.c.14.Iul.Flo.c.50. Alciat.lib.3 diſpunct. c.3. Pet. Greg. lib. 9. c.6.Vid.Robert. lib.1. animaduerſ.c. 1.& not. Merc.lib.1.c.1.Menoch.lib.2.arbit.quæſt. caſ.89.n.56.57.58. cent.2.Couarru.part.2.c.8.epit.de Sponſalib.

## XIII.

*Propter ius conſanguinitatis & affinitatis primò parentes & liberi, atq; ij, qui inter ſe parentum & filiorum loco habentur, ſiue proximi illi, ſiue vlterioris gradus ſint, vſq; in infinitum iungi matrimonio prohibentur:* (a)

(a) Deut.22.30.c.24.Leuit.18.& 20.per.tot.& Gen.19.V.36.& c.35.V.22.& c.38.18. 2. Sam. 13.14.l.nuptiæ conſiſtere.53.l.39.l.14.l.vlt.de rit.nupt.l.nemini.17.C.de nupt. §.5.6.7.Inſt. de nup.l.Fratris.l.Sororis.l.per adoptionē.de rit.nupt.Hārmēop lib 6.tit.4.l 5.l.pen.l.vlt. tit. C. de inceſt. nup. Vlpian.tit.5.Cajus lib.4.tit. 1.Vid.Nou.5.Comnen.lib.1.jur.orient. Graduum computationem juris Canonici in linea collaterali hîc propter rationes, quas doctè tradit Hotom.in tr.de grad.cogn.& affin.lib. 1. quem ſequitur Beza in tr. de diuort.& repud.; & Anton.Cont lib.2.ſubſec.c.1.non ſequerer, ſi nimiū quis gradum

computationem retinere cupiat; alioquin puto, eam hîc non admodum neceſſariam eſſe, cùm ex ea nuptiarum prohibitionem non metiamur. Leuit 18. & 20. §. 8. 9. & paſſim Inſt. de nupt. l. 53. nuptiæ. l. 14. de rit. nupt. Weſenb. Inſt. d. loc.

## XIIII.

*Secundò ex eodem iure cognationis prohibentur etiam nuptiæ inter Collaterales in ſecundo gradu iuxta iuris ciuilis computationem, vt inter fratres & ſorores, (a) item inter horum defunctorum relictas viduas, vxores vel maritos, & ſuperſtites fratres, vel ſorores: (b) licet hoc apud Iudæos non obtinuerit, apud quos, niſi liberos ex defunctò ſuperſtes vidua ſuſcepiſſet, eam defuncti frater in vxorem ducebat. (c)*

(a) d. loc. Leuit. (b) Leu. 18. 16. 18. 19. & c. 20. 16. Luc. 3. 18. Matth. 14. 4. Marc. 6. 18. 2. Sam. 13. 4. l. 5. l. fin. l. 8. l. fratris. C. de inceſt. nupt. l. Seruiles. de adopt. l. 54. de rit. nupt. c. de propinquis C. progeniem. & ſeqq. 35. q. 2. & c. vlt. ext. de diuort. (c). Matth. 22. 25. Deut. 25. 5 Gen. 38. & 29. Ruth. IV. 1. 2. Matth. 19. 3. Cognationem autẽ ſpirituale̅ matrimonio obſtare non puto.

## XV.

*Cæteri cognati & affines omnes in linea collaterali æquali conſiſtentes in gradu tertio vel vlteriori, patrueles, amitini, amitinæ, conſobrini, conſobrinæ, &c. coniugio copulari non prohibentur, (a) adeò etiam, vt duo fratres cum duabus ſororibus, Pater & filius cum matre & filia, mariti filius ex alia vxore cum vxoris filia ex alio marito, (b) & ſororis defunctæ, maritus ſuperſtes cum fratris defuncti vxore ſuperſtite, & contrà, iungi poſſint. (c)*

(a) Leuit. 18. & 20. Num. 36. 11. Ioſuæ. 15. 17. Tob. 7. Gen 29. l. in celebrandis. 19 C. de nupt. l. 2. C. de inceſt. nupt. §. duorum. Inſt. eod. l. 3. ſi nepotem. de rit. nupt. l. 34. de rit. nupt. l. 134. de verb. oblig. Harmenop. lib. 6. tit. 4. & 3. Vlpian. tit. 5. Vid. c. non debet. extr. de conſang. & affin. (b) §. 8. 9. Inſt. de nupt. §. generali. 30. §. inter. de rit. nupt. Vid. hîc. Nou. 5. & ſeqq. jur. orient. (c) Hart. ab Epping. lib. 2. obſ. tit. 3. obſ. 2. Adfines enim coniugum inter ſe. non ſunt adfines, & inter conſanguineos & adfines coniugum matrimonium non eſt prohibitum. c. quod ſuper. de conſang. & adfin. c. non debet. ext. eod. c. pen. ext. de conſang. & affin. arg. l. 4. §. 3. de grad. & affin: & §. mariti. Inſt. de nupt.

## XVI.

*Iure ciuili nuptias contrahere prohibentur ſerui, (a) peregrini, (b) tutor & curator, aut horum filius cum pupilla, vel minore, (c) cum corrupta à ſe antea per adulterium, (d) Magiſtratus & præſes cum prouinciali, (e) ampliſſimus cum humili, (f) ſenatorius cum libertina, aut vili muliere, (g) raptor cũ rapta à ſe, (h) patrona, eiuſq; filiæ cũ liberto, (i) & ſimiles, (k) quæ tamen prohibitiones ciuiles iure Nouell. & Pontificio in hac cauſa non conſiderantur. (l)*

(a) l. cum ancillis. 3. C. de inceſt. nupt. (b) Inſt. cod. in pr. verb. ciues Romani. Cic. in Top. Vid. Tob. c. 7. Gen. c. 34. (c) d. t. C. d. interd. matrim. l. libertum. 37. h. t. l. qui pupillam. 7 ad L. Iul. de adult. l. vlt. de legat. 1. coniunge Deut. c. 7. 3. Exod. c. 23. 33. 34. c. 34. 16. (d) tot. tit. de eo, qui in vx. dux. quam polluit per adult. Vid. tamen 2. Sam. c. 11. v. 27. (e) l. Si quis. 38. l. 57. C. ſi qual. præd. poteſt. & tit. C. Si rector prou. vel ad eum pert. (f) l. humiledn. C. de inceſt. nupt. (g) l. longè. 44. cum ll. ſeqq. h. t. l. oratio. 16. de Sponſ. (h) l. vnic. C. e rapt. virg. (i) l. 3. C. de nupt. (k) quod ex honeſtatis regula metiendum eſt. l.

157.ſemper de reg.jur.l.42.de rit.nupt. Vid. latius Moozz. C. quæ poſſ. cont. mat. (l) Auth.Sed nouo jure C.de nupt.Nou.78.c.3 Nou.117.c.6.c.pen.de raptor.& Alexius, in jure orient.c.pen.vbi Hostienſ.de ſecund. nupt. c.raptor.28.q.2.& 36.q.1.Moozz. de contract.c.quæ poſſ.cont.mat.num.14.15.& ſeqq.

## XVII.

*Quid hic de diſpenſatione ſtatuendum? Certè in iure gentium & diuino prohibitis nuptijs nemini quicquam concedendum erit;* (a) *in nuptijs autem iure ciuili vetitis legitimi Magiſtratus authoritatem multùm valere ſtatuo.* (b)

(a) Leuit.18.& 20.l.4.in fin.C.de inceſt.nupt.l.57.qui in.§.7.de rit.nupt.arg.§.pen. Inſt.de jur.not.gent.& ciu.(b)Num.c.vlt.facit 2.Sam.c.13.13.Vide Hart.ab.Epping. lib.2.tit.33.obſ.2.l.31.l.48.§.1.de rit.nupt.Nou. 89.c.3.Nou.117.c.6.arg.Rom.13.& 1.Pet.2.13.15.Prou.c.8.Vid.Moozz.de mat.c.vlt.num.15.

## XVIII.

*Tantum de perſonis; ex coniunctione ipſa dicitur coniugium promiſſum, vel perfectum & conſummatum.* (a)

(a) Vid.Deut.c.20.V.7.Matth.1.V.18.c. quapropter. 2. q. 2. tit. de Sponſ.tit.de rit. nupt.& C.de nupt.Vid.Nicol.Moozz.de contract.cap.de nupt.num.4.5.6.

## XIX.

*Coniugium promiſſum eſt Spes,* (a) *ad contrahendum de futuro vel ſub conditione,* (b) *matrimonium ex ſponſione, vel nudo conſenſu facta, etiam inter impuberes, 7. annis tamen non minores conceſſa,* (c) *atq; hinc Sponſalia dicta.* (d)

(a) l.6.Si puellæ.de Sponſal.l.13.§.3.de adulterijs,(b) c.de illis.c.pen.de Sponſ. Menoch.de præſumpt.lib.3.præſ.3.num.2.5.6.7.8.3.4.Couarruu.part.2.c. 4.§.1.num. 5.Dicunt.autem de futuro matrimonio re & verbis.Simul,vt plerumq. inter puberes, vel verbis quidem de præſenti,ſed re & juris interpretatione de futuro,vt ſunt Sponſalia impuberum de præſenti.Menoch.d.lib.3.præſ.1.num.60.61.& ſeqq. Couarru.part. 1. c.4.§.2.n.2.Vide Mooz.de nupt.num.12.13.& c.de diuiſ.matr.n.6.l.4.l.fin.de ſponſ. l.fin.C.eod. (c) l.in Sponſalibus.14.l.6.l.1.de Sponſ.Harmenop.lib.4.tit.1.Paul.lib. 2.ſentent.tit.20.authore tutore.l.9.de authorit.tutor.§.1. Inſt. d. t. l. 9. de Sponſ.l.Si vxor.13.§.Diui.3.de adult.l.2.C.de repud.l. 2. de rit. nupt. l. cum hic ſtatus.§.ſi quis. de donat.int.Vir.& vx.Gell.lib.4.c.4.Varro.lib.4 de Latin.ling.Alciat.lib.1.parerg. c.2.Vid.Deut.22.23.24.25.& ſeqq. Matth.1.18.Luc.1 27.c.noſtrates.30.q. 5. c. ſtatutum cum ſeqq.27.q.1.Couarru.in epit.Sponſ.c.1.(d) l.2.l.3. de Sponſal.Vid.l.1.C.de rect.prou.Spon.deder.Cod.Theodoſ.l.( Si nupt. ex reſcript.quando Sponſalia priuiegio matrimonij veri conſummati gaudeāt,vide apud Gothofr.in l.1.de ſponſ.&W e-enb.in tit.de ſponſ.Mynſ.cent.6.obſ. 78.

## XX.

*Præcedunt autem ſponſalia matrimonium,* (a) *plerumq; ob ſex cauſas: vt ſc. habeatur conſenſus parentum,* (b) *vt exploretur ingenium & mores coniugis, & deliberatio melior ſit,* (c) *vt vxorem ducturus componat pænates, & comparet ea, quæ oneribus matrimonij ſubeundis ſunt neceſſaria,* (d) *vt diu expectata vxor ſit charior,* (e) *vt nupturam dotantes conquirant pecuniam,* (f) *& vt per denunciationem publicam omnia impedimenta*

*matrimonij remoueantur, & diſsidia componantur*.(g)

(a) l.9.de ſponſ.l.cum hîc.32.§.27.de don.inter vir.& vx.(b) l.in ſponſ.7.l.in poteſtate.10.de ſponſ.l.2.de rit.nupt.l.Si vt proponis.C.d.t.arg.l.nec.22.de adult.l.4.C.de ſponſ. (c) per c.vbi periculum maius.de elect.in 6.l.fin. C. de jure deliber. Gen. c.19. juxta illud ſat citò ſi ſat benè.& diu deliberandum quod ſemel faciendum. Et prou. c. 17.27.& 10.19. (d) de quibus inf.theſ. annus hic etiam more judaico dabatur. Deut.c. 20.1.Machab.c.3.Ioſeph.lib.4.c.6.antiq.judaic. (e) c.inſtitutum. 27. q. 2. (f) arg.l. 31.debitoribus.de re Iud.l.quod dicimus.de ſolut.l.pro oneribus.30.C.de jur.dot.(g) c.cùm inhibitio.de cland.de ſponſ. Menoch.lib.2.arbit.q.caſ.45.n.3.

## XXI.

*Pro impuberibus,* (a) *non puberibus, niſi poſtea approbantibus, Pater ſponſalia facerè poteſt*.(b)

(a) l.ſi pater.4.C.de ſponſ.l.1.§.fin.C.ſi nupt.ex reſcript.l.tutor.36.l.66.de.rit.nupt. Cuiae.lib.16.obſ.c.33. (b) c.1.2.3.4.de ſponſ.impub.l.in ſponſalibus.7.l.filiofamilias.13.l.11.ſponſalia.de ſponſalib.l.2.de rit.nupt.l.21.non.d.t.

## XXII.

*Sponſalia firmata conſtitutione dotis,*(a) *vel Iuramento de implenda promiſsione,* (b) *vel de præſenti inter puberes habent vim veri, & conſummati matrimonij,* (c)

(a) l.lege,quam dixiſti.10.C.de pact. (b) c.ac ſi quis. 27 q.2.c.de illis.c.veniens.de ſponſ.per l.vt Iuriſiurandi.de oper.libert.Rom.c.1.31.Eccleſ.29.3.c.13.15.c.18.22. Galat.c.3.15.Pſal.15. (c) Pet.Greg.lib.8.ſyntag.c.5.& c.9. Couarru.in epit.ſponſ.per cap.1.de ſponſ.duor.Alex.comnen.tit.de ſponſ.c.2.in jur.orient.

## XXIII.

*Arrhæ(quæ anulus vt plurimùm eſſe ſolet)* (a) *traditione, & donatione, ſeu largitate ſponſalitia,*(b) *ſponſalia confirmata matrimonium verum nondum ſunt*.(c)

(a) arg.l.35.quod ſæpè.de cont.empt.adde Gen.c.38.& c.41.& Luc.15.c.illud.c.11. de præſumpt.in decret.c.noſtrates.30.q.5.Gel.lib.10.c.10.Iſidor.lib.2.c.15.de offic. (b) arg.l.3.l.fin.C.de ſponſ.& arrh. [c] Nou.119.l.ſi à ſponſo.15.C.de donat.ante nupt. vnde ὀπτήρια, ἀνακαλυπτήρια Iul.pol.lib.3.c.3.ἐπαύλια Alciat lib.1.parer.c.2.θεώρητα.Harm.lib.4.c.7.quæ dantur non propter dotem,ſed propter adfectionē ſponſi vel ſponſæ.l.ſi à ſponſo.C.de don.ante nupt.§.eſt apud.I.de donat.Vid.Pet.Gregor. lib.8.c.7.n.18.19.de oſculo ſponſaliorum,& proxenetrijs vid.Petr.Greg.d.loc.c.8. Nicol.Moozz.de nupt.num.10.& ſeqq.

## XXIIII.

*Perfectum ſeu conſummatum coniugium eſt ipſa coniugum puberum obligatio de communicandis iam ſtatim & purè inter ſe matrimonij commodis, & oneribus*.(a)

[a].d.l.1.de rit.nupt.l.4.C.de crim.expil.hæred.l.52.de repud.§.1.Inſt.de pat.pot.l. 8.l.22.§.7.ſolut.matrim.l.13.C.de dign.lib.12.l.1.rerũm amot. Vid.Moozz.c.de diuiſ.matrimon.num.10.11.quod ſaltem puberũ eſt l.4.de rit.nupt.l.pen.quando dies legat.l.68.l.39.§.1.de jur.dot.l.10.de condit.& demonſt.Iſidor.lib.9.c.7.de forma contrahendi huius matrimonij latè Moozz.c.de ſubſtant.& form.mat.n.25.& ſeqq. & Couar.d.loc.

## XXV.

*Confirmatur illa obligatio hodie* (a) *poſt factam ex arbitrio publicam denunciationem* (b) *ritu nuptiarum, publicè nimirùm coram Eccleſia* (c) *aut in cœtu aliquot fidelium Eccleſiam repræſentante,* (d) *nubentibus benedicente Eccleſiæ miniſtro,* (e) *quos ritus ſequi ſolet deductio in domum vel ad lectū ſponſi, quæ eſt quædam quaſi traditio, & conuiuium nuptiale, & concubitus.* (f)

(a) de ritu nuptiarum apud veteres vſitato vide Vlpian. tit. 9. Iohan. Roſin. lib. 5. antiq. Rom. c. 37. Sigon. de antiq. c. 9. Barnab. Briſſo. de jur. connub. & de rit. nupt. Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 1. c. 24. & Hotom. lib. 4. obſ. c. 26. Petr. Greg. lib. 9. c. 5. Halicar. lib. 2. antiq. Rom. l. Seia. 65. §. 1 de don. inter vir. & vx. apud Tob. c. 7. c. 8. c. 6. data dextra, quæ fidei datæ eſt ſignum. 1. Chron. c. 29. 24. fit conuiuium, inſtrumentum, & concubitus. Vid. Gen. c. 24. 29. & ſeqq. c. 34. 8. & ſeqq. 1. Sam. 25. 39. 40. Iudic. 14. Gen. 29. Ruth. 3. 4. Iohan. c. 1. Matth. 22. 1. & ſeqq. Gothof. in d. Nou. Leon. 89. & in l. 1. de rit. nupt. item oſculū & ἀνακαλυπτήρια fiunt. Gen. d. cap. (b) Menoch. lib. 2. arb. q. caſ. 453. & caſu 117. nu. 16. Maſcard. de pro. vol. 2. concluſ. 1035. per c. cum inhibitio. in pr. de cland. deſponſ. per c. in tua deſponſ. Hotom. q. illuſt. 25. (c) c. 30. q. 1. c. 2. & 3. c. fin. de cland. deſpon. v. de l. vxor C. de repud. Nou. Leon. 89. (d) d. c. fin. de cland. deſpon. vid. Ruth. c. 4. 11. 12. & ſeqq. Gen. c. 24. 60. Tob. 7. 14. c. 10. 11. Marc. 10. Iohan. c. 2. (e) c. fin. 28. q. 1. c. aliter. 30. q. 1. Nou. Leon. 89. Nou. 64. c. 4. §. 1. arg. 1. Cor. 14. 40. Gen. 24. 60. Ruth. 4. 11. 2. Vnde clandeſtinas nuptias damnamus, tot tit. de cland. deſpon. vid. Menoch. lib. 3. præſumpt. 1. n. 99. 100. 101. Dicuntur autem clandeſtinæ 4. modis de quib. Moozz. c. de ſubſt. mat. nu. 13. 14. (f) qui tamen de ſubſtantia nō eſt. l. nuptias. de reg. jur. l. mulierem l. deniquè. de rit. nupt. Mooz. d. loc. num. 21.

## XXVI.

*Ex hac cōiugali obligatione præſtanda veniunt officia propria ab alterutro coniugum alteri, vel communia & mutua ab vtriſque inter ſe inuicem.* (a)

(a) l. 1. Verb. diuini & humani juris communicatio. de rit. nupt. Inſt. de pat. pot. l. 4. de crim. expil. hæred. l. 22. §. 7. ſolut. matr. l. 1. rer. amot. 1. Pet. 3. 6. 7. Exod. 21. 10. 1. Cor. 7. 13. 14. Gen. 2. 18. Malach. 2. 14.

## XXVII.

*Propria ab alterutro coniugum ſocio præſtanda, fiunt ab vxore marito, vel contrà marito vxori.* (a)

(a) d. l. & theſ. ſeqq.

## XXVIII.

*Vxor præſtare & exhibere ſe debet marito humilem ſubiectam,* (a) *quem caput & dominum ſuum agnoſcat,* (b) *cui reuerentiam* (c) *fidem, obſequia* (d) *operas* (e) *præſtet, cuius domum & familiam adminiſtret,* (f) *de quo penitus ſolicita & anxia ſit,* (g) *quem vnicè amet,* (h) *cuius familiam, forum & dignitatem recipiat,* (i) *cuius modicam caſtigationem ſuſtineat,* (k) *quem in omni fortuna ſequatur,* (l) *ſine cuius authoritate nihil faciat,* (m) *quæ officia alibi onera miſeræ vxoris vocantur.* (n)

(a) Gen. 3. 16. & c. 18. 12. Num. 30. Leu. 32. 13. 1. Cor. 11. 3. c. 14. 34. Rom. 7. 2. 3. Epheſ. 5. 22. 23. 1. Pet. 3. 16. 1. Timoth. 2. 12. Matth. 18. 26. Eſther. 1. Tob. 1. 23. 12. Tit. 2. 5. Coloſſ. 3. 18. l. 2. verb. ſui juris. l. 19. ſolut. matr. Catul. in carm. nupt. verb. qui viro ſua jura ſimul cum dote de-

